IN FESTO
S. TERESIAE VIRGINIS
DVPLEX:
Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, & Monialium Fundatricis.

A Sacra Rituum Congregatione recognitum, & approbatum.

Sub die x. Februarij. 1629.

5



MATRITI

Ex Typographia Regia. Anno 1630.

LICENCIA.

NOS El Maestro don Fray Antonio de Sotomayor, Confessor de su Magestad, de su Consejo de Estado, del de la santa general Inquisicion, Abad de Santander, Comissario general de la santa Cruzada; y otrosi juez Apostolico y Real para lo tocante a la impression, tassa, y distribucion de los libros del nueuo Rezado, &c. Por la presente damos licencia a doña Teressa Iunti Impressora del Rey nuestro Señor, para que pueda imprimir este Oficio de sancta Teresa, conque antes de venderse, se trayga a tassar, y corregir ante Nos, pena de excomunion mayor. Dada en Madrid a 7. de Nouiembre de 1630. años.

Fr. Antonio de Sotomayor.

Por mandado de su Señoria Illustrissima.

Gil de Echauri y Zarate.

DIE

DIE XV. OCTOBRIS.
IN FESTO
SANCTÆ TERESIÆ VIRGINIS
DVPLEX.

Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, & Monialium Fundatricis.

A Sacra Rituum Congregatione recognitum, & approbatum.

Sub die X. Februarij 1629.

Ad Vesperas, Aña. Psalm. & Capitulum, vt in Communi Virginum.

Hymnus.

REgis superni nuntia.
Domũ paternã deseris,
Terris Teresa barbaris
Christum datura, aut sanguinem.
Sed te manet suauior
Mors, pœna poscit dulcior,
Diuini amoris cuspide
In vulnus icta concides.
O charitatis victima!
Tu corda nostra concrema,
Tibique gentes creditas
Auerni ab igne libera.
Sit laus Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclito,
Tibique Sancta Trinitas
Nunc, & per omne sæculũ.
Amen.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℣. Intende, prospere procede, & regna.

Ad Magnificat, Antiphona vt in Communi.

Oratio.

EXaudi nos Deus salutaris noster, vt sicut de Beatæ Teresiæ Virginis tuæ festiuitate gaudemus: ita cælestis eius doctrinæ pabulo nutriamur; & piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum, &c.

Ad Matut. Inuitatorium.

Regem Virginum Dominum, Venite adoremus.

Psalm. Venite exultemus.

Hymnus.

HÆc est dies, qua candidæ.
Instar columbæ cælitum
Ad sacra templa spiritus.
Se transtulit Teresiæ.
Sponsique voces audijt:
Veni soror de vertice
Carmeli ad agni nuptias:
Veni ad coronam gloriæ.
Te sponse Iesu Virginum
Beati adorent ordines,
Et nuptiali cantico
Laudent per omne sæculũ. Amen.

Antiph. Psalm. ℣. & ℟. Nocturnorum de Com. Virg.

In j. Nocturno, Lectiones de Epistola B. Pauli Apost. ad Corint. De Virginibus; vt in eodem Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio iiij.

TEresia Virgo nata est Abulæ in Hispania, parentibus tum genere, tum pietate præclaris. Ab ijs diuini timoris lacte educata, admirandum futuræ sanctitatis in tenerrima adhuc ætate specimen dedit. Nam cum sanctorum Martyrum acta perlegeret adeò in eius meditatione sancti Spiritus ignis exarsit, vt domo aufugiens in Africam traijceret, vbi vitam pro gloria Iesu Christi, & animarum salute profunderet. A Patruo reuocata, ardens martyrij desiderium eleemosynis, alijsque pijs operibus cõpensauit; iugibus lachrymis deplorans optimam sibi sortem fuisse præreptam. Mortua matre, cum à Beatissima Virgine peteret, vt se

se matrem esse monstraret, pij voti compos effecta est; semper perinde ac filia patrocinio Deiparæ perfruēs. Vigesimum ætatis annum agens, ad Moniales sanctæ Marię de Monte Carmelo sę contulit; ibi per duodeviginti annos grauissimis morbis, & varijs tentationibus vexata, constantissimè meruit in castris Christianæ pœnitentiæ nullo refecta pabulo cælestium earum cōsolationum, quibus solet etiam in terris sanctitas abundare.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

ANgelicis ditata virtutibus, non modo propriam, sed publicam etiam salutem sollicita charitatę curauit. Quare seueriorem veterum Carmelitarum regulam, Deo afflante, & Pio IV. approbante, primum mulieribus, deinde viris obseruandám proposuit. Effloruit in eo consilio omnipotens miserentis Domini benedictio; nam duo supra triginta Monasteria inops Virgo potuit ædificare, omnibus humanis destituta auxilijs, quinimo aduersantibus pleraque sæculi Principibus. Infidelium, & Hæreticorum tenebras perpetuis deflebat lachrymis, atque ad placandam diuinæ vltionis iram voluntarios proprij corporis cruciatus Deo pro eorum salute dicabat. Tanto autem diuini amoris incendio cor eius conflagrauit; vt meritò viderit Angelum ignito iaculo sibi præcordia transuerberantem; & audierit Christum data dextera dicentem sibi: Deinceps vt vera Sponsa meum zelabis honorem. Eo consiliante, maximę arduum votum emisit; Efficiendi semper quicquid perfectius esse intelligeret. Multa cęlestis sapientiæ documenta conscripsit, quibus fidelium mentes ad supernæ patriæ desiderium maximè excitantur.

tantur. ℟ Dilexisti.

Lectio vj.

CVm autem, assidua ederet exempla virtutum, tam anxio castigandi corporis desiderio æstuabat, vt quamuis secùs suaderent morbi, quibus afflictábatur, corpus cilicijs, catenis, vrticarum manipulis, alijsque asperrimis flagellis sæpe cruciaret, & aliquando inter spinas volutaret, sic Deum alloqui solita: Domine, aut pati, aut mori: se semper miserrima morte pereuntem existimans, quã diu à cælesti æternæ vitæ fonte abesset. Prophetiæ dono excelluit; eamque diuinis charismatibus tam liberaliter locupletabat Dominus, vt sæpiùs exclamans peteret, beneficijs in se diuinis modum imponi, nec tam celeri obliuione culparum suarum memoriam aboleri. Intolerabili igitur diuini amoris incendio potiùs, quam vi morbi, Albæ cum decumberet; prænunciato suæ mortis die, Ecclesiasticis sacramentis munita, alumnos ad pacem, charitatem, & regularem obseruantiam, adhortata sub columbæ specie purissimam animam Deo reddidit: Annos nata sexaginta septem: Anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo, Idibus Octobris iuxta Kalendarij Romani emendationem. Ei morienti adesse visus est inter Angelorum agmina Christus Iesus. Et arbor arida cellæ proxima statim effloruit. Eius corpus vsque ad hanc diem incorruptum, odorato liquore circumfusum pia veneratione colitur. Miraculis claruit ante, & post obitum; eamque Gregorius Decimus quintus in Sanctarum numerum retulit.

℟. Afferentur.

In tertio Nocturno.

Euangelium. Simile est Regnum

gnum cælorum decem Virginibus, &c.

Homilia sancti Gregorij, de Communi Virginum.

Ad Laudes, omnia de Communi Virginum.

Hymnus, vt in primis Vesperis. Ad horas omnia de Communi.

Ad ij. Vesperas, omnia, vt in primis. ℣. Diffusa est gratia. Missa de Cõmuni Virginum. Dilexisti iustitiam. Oratio, vt supra.

F I N I S.

